



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XLIII. Dom. XVIII. post Pent. Stygia cogitatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

CONCIO XLIII.

DOMINICA XVIII. POST
PENTEC.*Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Matth. 9.*

Stygia Cogitatio.

QUæ sit propriè officina illa, in qua tam varii cogitatus excoquantur, non liquet AA. De loco ac nomine Officinæ hujus graviter scholæ digladiantur. Medici Caput vocant officinam, quod etiam digitò signatur, quoties seriis cogitatibus diem dicimus; hic inquirunt omnia cogitata sicut pulli in Ægyptiaca fornace excluduntur; hic in capite tanquam in nativa sede omnes cogitationes juxta medicos coacervantur; hic una super alteram emergit, donec quæ data porta, in opus erumpat. Aristoteles contra suis cum Sophistis rejecto capite, omnes cogitatus in pectore fundat, ubi omnes abundè possunt consistere quia Spiritus sunt. Cum his sentit Hier. & alii passim Doctores ac bibliographi, imò ipsa etiam Script. ac præsens Evangelium, in quo signatè Christus his verbis pravos cogitatus exprobrat Pharisæis: *quid cogitatis mala in cordibus vestris?* non dixit hic loci Christus: *quid cogitatis mala in capite vestro, sed in cordibus vestris*; ergò corda sunt cogitationum nostrarum officinæ, non capita nostra, plus fidei utique merebitur Spiritus Sanctus, qui nec falli nec fallere potest, quàm simplex *Medicus*, ubi verius per Anagramma dixeris *Decimus*, prout hæc fufius explico Dom. 10. post pent. Tub. Anagram. quasi vox ipsa *Medicus Decimus* fateatur, decem stare capitibus, ut undecimus salvetur aut servetur. Tueantur adeò Medici caput suum ut volunt, ego relictis Medicis, eam sectar sententiam, quam

A.
Cogitatum
nostrorum
officina
Cor est
non Caput

quam dicit Spiritus Sanctus, S. P. Hieronymus, & passim Theologi omnes, dicoque iterum, cor nostrum veram esse officinam, ubi omnes nostræ cogitationes concipiuntur & excoquantur. Surgunt quidem ex corde in Caput tanquam fumus è terris in altum, neque tamen in capite progenerantur. Lestretur Script. non reperietur Caput pro cogitationibus nostris allegari. Nunquid apertè Jobus (1) meminit: *cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum.* Nunquid ab

(1) Job. 17
nes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum. Nunquid ab

(2) Eccli.
34
huc clariùs Siracides (2) perorat: *cor tuum quasi parturientia phantasiae patitur.* Quasi diceret Ecclesiasticus: vera & nativa domus, in qua cogitationes nostræ concipiuntur, & pro-

(3) Zach.
7
gignuntur, Cor est. Nunquid idem palàm tuetur (3) Zacharias: *malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.* Idem cum

(4) Matth.
15
didè in faciem evolvit Christus (4) *de corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonio, blasphemia &c. haec sunt, quae coinquinant hominem.*

ita quidem, ut Deus talem hominem verè fastidiat & abominetur, si præcisè hæc cogitata cum libero assensu ipsius humanae voluntatis concipiuntur, licet ipsum in opus non protrahantur.

(5) Luc. 18
cantur. Novit hoc apprimè publicanus ille, (5) qui hac una causa pectus suum tundeat, ut palàm fateretur, hic angustus in herba latitare, *propitius esto mihi peccatori*, tu verò dicit

mens DEUS hæc peccata solis cogitatibus conclusa benignè ignosce! curabo posthac, ut nulla unquam prava cogitatio

(6) S. Cæs.
far, in Luc.
meum in pectus irrepat, *tundeat pectus*, inquit (6) S. Cæsarius, *& peccata intus recondita quasi se verissimus iudexerberabat*, timebat enim, ne Deus scelerum vindex præcordia

pravorum cogitatum receptacula feriret, nisi suis rationibus

Justitiam Divinam præoccuparet.

An ergò Deus simplices etiam cogitatus ad pœnam trahit, licet nunquam opere consummentur? ergò liberi non sunt cogitatus nostri, nec exempti? sic arguebant pessimi Pharisei.

Idè à Christo correcti & probè castigati. Apud illos sola prava opera erant peccata, omnes autem cogitatus exleges erant.

Hæc fortè impia iudicia de pravis cogitatibus iudicant Christiani.

fliani. Apud illos actuale homicidium, actuale adulterium, actuale furtum, actualis fornicatio erat peccatum, non item nuda & libera voluntas occidendi, adulterandi, furandi, fornicandi, aut beneplacitum de actibus illis conceptum. Nulla inter illos noxia erat cogitatio, modo non fuerit ipsomet actu & opere obliquata; At hæc sententia grandem errorem involvit; quò pænè innumeri in æternitatis abyssum præcipitantur, persuasi, prava cogitatus nullis pœnis subiacere, qui vel ideo vilipenduntur & exploduntur.

B. Pravi cogitatus nostri nec exempti sunt nec privilegiati puniuntur æternim.

Nunquid autem Deus etiam in Vet. Lege (7) æquè prohibuit impias cogitationes, quam prava opera? nunquid post exressum hoc præceptum, *non furaberis, non occides, non machaberis*; quibus pravam opus comprehenditur, per aliud speciale præceptum etiam reprobas cogitationes interdixit. Pari pœna cum operibus multanda, si nostris in præcordiis sedem figant? *non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, que illius sunt*; ergo etiam prava cogitationum cupido culpabilis est, quæ opera impia nudè afficit, ea licet non efficiat. Talis cogitatus præmeditatè toleratus apud DEUM ipso pro opere reputatur (8) *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam machatus est eam in corde suo*; moriatur hæc in concupiscentia sine pœnitentia, jam à DEO tanquam adulter aut virginum deflorator castigabitur, pœnâ utique non purgatoriâ, sed æterna. Sic vult voces istas accipi August. (9) *etsi non impleatur foris negotium mala cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus hostis est*. Sapiens hoc ipsum pridem sua in lege promulgavit; audiatur quid proverbialia (10) loquantur & Sapientiæ (11) libellus, ibi hæc Salomon enuntiât: *abominatio Domini cogitationes male*, ideo scilicet indignæ, quæ oculos subeant Divinos in gloria. Hic omnem proprias salutem Sapiens derogat cogitatibus illis: *separantur à Deo perverse cogitationes*, non tantum ad tempus aliquod, sed in æternum & ultra, ut loqui solet (12) Script.

(7) Deut. 5. C. Probatur ex Script.

(8) Mat.

(9) S. Aug. ep. 144.

(10) Prov. 15. (11) Sap. 1.

(12) Mich. 4. (13)

Qui hæc tenus dicta necdum ritè apprehendit, is omnes averni diabolos interroget, quorum multa millia. Quid mali patrârunt orcini lemures isti? quid illos ex Angelis fecit diabolos?

Ggg

bolos?

(13) S. Cæ-
sar. l. 8.
mir. c. 23.

bolos? quibus modis Deum Creatorem suum violarunt? in
la generali Confessione vulgò *Confiteor* dicta, etiam miracul
comprobata; cum enim ut (13) Cæsar. scribit, Villariensis ab
bas Sacrum auspicaturus dictam Ecclesiæ Confessionem pro mu
re recitaret, vox cœlò lapsa est dicens: *dimittuntur tibi pecu-
tata tua &c.* in hac inquam generali Confessione ter peccatus cog
tundimus, & coram Deo fatemur, per nos Divinam Majestatem
graviter læsam esse *cogitatione, verbo, & opere*; ergò vi hujus
Confessionis Deus tripliciter læditur, per impios cogitatus, per
verba & voces scandalosus, & per opera scelestas. Quæratu
gò ex diabolis, quò modò meriti sint æterni pœnas? eura De
æternum cœlò sint proscripsi & abyssò meriti? Id pridem d
natos spiritus interrogavit Isaias (14) *quomodo cecidisti de cel-
lucifer?* Cum verò nullum ex orco responsum acciperet, res
respondit Propheta his verbis, *dicebas in corde tuo, in cœlis
conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero
Altissimo.* Hem *dicebas in corde &c.* in opere ipso contra Deum
nihil propriè tentatum est. Hanc in corde superbissimam cog
gitationem fovit cum suis lucifer, hanc aluit & enutrivit, cog
tans, medicans, quibus modis possit solium super astra Dei
altari; & verò quæ Angeli, & puri spiritus non poterant ali
peccare nisi pravis cogitationibus suis; cùm enim incorporei
essent, nec verba formare poterant defectu sensuum, nec opus
aliquid expedire, nisi corpus ex nubibus assumerent, quare qu
hoc tantum accidentarium fuisset & casuale, in substantia nihil
At quid Deus ad hos superbiæ cogitatus reposuit? *vel ut dicitur
ad infernum detrahèris in profundum lacu.* Hem sententiam
quæ ipso à Deo fulminata est Angelica cogitatio. Quocirca
ergò in inferno diaboli numerantur, tot testes habemus, per
vos cogitatus apud Deum cordium inspectorem ex lege non de
se, sed æternis ignibus calligari, cujus evidens specimen lucifer
exhibet & affectæ illius.

Si neque his plena fides adstruatur, ad abundantiam
(15) Jo. 16. co, quod Christus ipse (15) dixisse perhibetur: *Si mihi non cre-
tis credere, operibus credite.* Si credere renuitis, quæ Scriptura
è literis produxi, quæ ex Sanctis Patribus probavi, impios in cog

cogitatus etiam orci pœnis multari, operibus saltem credite, unde vocum veritas utraque manu palpetur. Credite historis undique authenticis, non fictis, sed factis; exemplis credite undique tragicis, quibus hoc ipso prosequi voluit impios cogitatus Deus, ut vel sic malo alieno saperent reliqui, & sanctius sua pœcordia custodirent, ne unquam prava cogitatio irrepat, in perniciem nostram nullò ævò reparandam. Factum hoc refert Phil. Dulstrem. (16) Nobilis Hispanus è Soc. JESU in suo pœtag. Christ. Quam pretiosus sit liber iste, inde ad oculum clarescit, quia jam quadraginta vicibus (17) Sotvello teste variis in locis prælo eductus est in publicam lucem, eo semper cum fructu, & publico legentium bono, ut hanc in horam ægerri- mè possint plura illius exemplaria obtineri.

Erat Comis in Italia prædives Civis, cui morte immatura uxorem rapuit Libitina. Inde pravis amoribus irretitus, cum focaria sua seu turpi concubina, rem domesticam multo tempore curavit; eam rectè *focariam* dixeris, quia rogum ei ad orcum instruxit nequam femina. Hoc prociæ & efræni libidine infame commercium ultra triennium extraxit, plus ultra extracturus, si numerosum scelus ulterius justum Numen dissimulasset. Lapsò trienniò, acriore febre tentari cepit, ita quidem, ut actum de vita Medici pronuntiarent, à quibus ex officio fidenter monitus est, ut rebus suis maturus prospiceret, & cum vita temporalis esset undique conclamata, se cum Deo suo seria Confessione reconciliaret, & in id totis viribus incumberet, quibus modis Sacrorum usu vitam salvaret æternam. Probi nominis Medici fuerint, qui suæ obligationis memores ægro candidè ac sine omni furo præfens periculum detegebant, eum insuper ad Sacrorum usum christianissimè hortati. Sic omnes Archiatri suis cum patientibus procedant. Norunt utique, quæ illis obligatio publicè sit imposita, cum Doctorali pileo sua in Academia coronarentur. Nolunt illi suam conscientiam gravare? suæ obligationi exactè satisfaciant, & tamdiu opportunè importunè instabunt, donec ultima Sacra ritè accipiat ægrotus; ita sanè vires suas totum in corpus Medicina difundet, si prius morbi primam radicem, intellige peccatum,

Ggg 2 & me-

D.
Et Exem-
plò Tragi-
cò.

Hist.
(16) Dulstrem.
in pœd.
Christ. p. r.
c. 4. n. 3.
(17) Sot-
vello in Bibl.
lit. P.

E.
Crisis ju-
stissima
in Medicos
ultimam
articulum
celantes
aut palli-
antes.

& medio sui proseripserit ager, juxta tritum illud Augullini de totius Ecclesiæ publicum effatum: *nulla nobis nocet aduersitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.* Hæc autem obligatio à nonnullis modicè obliuatur; quid, inquiet nonnemo, ægro dicam veritatem? mihi ocius dies diceretur; actum foret de lucro; fata nuntient Confessarii; ego Hippocratem ager & Harpocratem silentiosum. At verò tibi ô Hippocras hoc in articulo tacendum non est. Adest periculum ultimum ut sit Salus animæ percilitatur, periculum letale centies occidant Religiosi, ex musca facient elephantum. Non credetur assertum nisi tua quoque autoritas accedat; lucrum tuum esto matimum, si animam serues ab interitu. *Omnia si perdas, animam seruare memento.* Quamdiu non ex ore tuo idem probat oraculum, mortem magnis passibus appropere, tamdiu æger rem seriò agi non credit, donec animam agat à morte præuentus; moriatur ergò impœnitens? tu certè Hippocras, tu inquam Doctor Hippocras causa es mortis sine pœnitentia obitæ, tu tu animæ simul & corporis duplex latro es, ac de manibus tuis perdita salus requiretur. Adhuc crudius cum ægro illi medicaltri procedunt, qui periculosè decumbentem ægro semper promissis lactant, eis certam & indubiam salutem, mites undique aureos adpromittunt, sola spe morbidum patientem lucci gratiâ in tumultum usque refocillantes, licet videant animam extimis jam labiis hæere proximè ad manes avolatam. Guicciardinus (18) ait, hunc pessimum morem palam hodie sine ullo scrupulo Medicis receptum esse & chirurgis. Verba illius hæc sunt: *nunc proprium illis est, ægro constare, ipsiq; reualescentiam, siue id verum sit, siue falsum, ad extremum usque spiritum promittere.* Si ægro penitus extincto, larga promissa huic hominum generi obijciantur, jactant homeros, & suo se solenni diuergio contra quoscunque Mortuentur: *Contra vim mortis non est medicamen in hortu.* Si fata quæcunque palliantur, quocunque tandem animæ avoluerint. At veniant illi ad Urnam Divinam, audient prærepositoris & conscientiarum Rectoribus Confessariis: *redderai tunc Hippocras! fecisti officium hominis Christiani, aut neglexisti monuisti de periculo ægros? curasti sacris ante animam expiari.*

(18) Guicciard. in horis recr.

expiari, quàm corpus Medicinis purgaretur? si partes omnes etiam monitoris medici explevit, salva res. Sin minus? væ latroni medico? In curando cive Comensi nullus talis defectus argui poterat, ut vidimus. Inculcatum fuit ægro multoties (19) illud Script. etiam per Medicos: *dispone domui tuae, (19) Ifa. 38. morieris, & non viues*; ultimam expedi voluntatem, ante omnia verò rationes ac debita cum DEO compone, moriendum est. Locum dedit monitis tam seriò iteratis ægrotus, iis maximè, quæ vidit etiam à Medicis proficisci, & ad se properè accersit passim notum Patrem Societatis Operarium. Aderat è vestigio accitus, atque ægro peramicè salutato, sua largè obsequia obtulit; cum autem apprimè sciret, quam vitam scandalis plenam multis jam annis cum laris alieni lupa vixisset, validis precibus instabat, ut seriam poenitentiam apprehenderet, sed multò antè suis ex ædibus hanc lupam profligaret, teneri eum ad hoc lupæ hujus exterminium sub æternæ salutis jactura. Reuult æger nuntium scorto remittere, causatus hæc femellâ hoc temporis in morbo sibi maximè opus esse, quæ hæctenus totius domus munia perquam industriè semper expediisset. Primis hisce precibus constanter rejectis, etiam Pater re infecta, domum revertit, unà cum suis DEO supplex factus, pias fudit preces, ut obstinatæ mentis hominem ad frugem DEUS reduceret; inde ad ægrum regressus, flexis genibus miserum civem orare institit & obsecrare, hanc ut Penelopen ædibus suis proscribat, & ante ultimum è vivis abiturum in tuto collocet salutem suam. His precibus id tandem felicissimè obtinuit Pater, quod votis adeò ardentibus jam toties efflagitavit; domo sua exesse iussit infame prostibulum, inde animâ Confessionis Sacramentò à pueris perpurgatâ, iratum sibi Numen sacro piamine seriò placare contendit, fuis uberrimis lacrimarum fluentis testatus, se antea vitæ scelera funditus detestari, se unam tot flagitiis veniam inclamare, & tota mente ad Deum ac Superos converti. Lætus tam felici successu Pater, suos ad labores domi expediendos, domum revertit, atque ægrum solamine plentim circumstantibus vicinis commisit; postridie rediturus, cum jeju-

nus primo manè Sacro esset Epulo refocillandus. At Deus multò antè concubia nocte vitam ægro truncare constituit,

*Quam Sol phœbeâ lustraret lampade terras,
Larida, tetrica, pallida, squallida, terribilis nox,*

funus fecit Civem expiatum & postridie Sacro etiam Fereulo & Ecclesiæ Oleo contra mortem & orcum ritè communiendum. Dolebant quidem tam citò è vivis abiisse, Sacris pluribus repente à lato fraudatum, unà tamen gaudebant, saltem per S. Exhomologesin probè à peccatis expiatum, tam ubertis lacrimis perlusum, Deo meritum hinc migrasse, nunc utique salutis portum aspirante Dei gratiâ attrigisse. Erat hoc ipsi Patri quoque grandi solatio, tot inter pœnitentiæ signa & undantium lacrimarum fluente purgata mente fati concessisse; si quid tamen purgantibus adhuc fœcis esset post fata pietatis diluendum, statuit ocuis audita morte suppetias ferre & pro extincto Sacris operari; eum in finem jam petiit Sacrarium, hem occultâ quâdam remorâ pedem ultrâ exporrigere, se sensit prohiberi, auditâ insuper tristi & tremula voce: *filio quo te pedes? abiit nihilominus & jam Sacrario propinquus, se denuò vi quadam occulta retrorsum agi advertit, neque tamen se prohiberi passus, sacra induit paramenta, & ad Aram usque progressus, jam publica Confessione animos eluit, ecce tibi, horrida se umbra ad Epistolæ cornu visendam obtulit. Sacerdoti, quæ truci vultu Sacrificantem intuita, tandem etiam affari cepit Sacerdotem his verbis: desine sacris operari! frustra pro me Deo supplicare. Horruit pater ad monstruosam umbræ formam & terrificam vocem, & verò nunquid tu idem es inquit, qui heri tantis cum lacrimis, tantis cum singultibus & animi verè contriti evidentibus signis tua mihi scelera decernisti? sum eheu, ait infelix spiritus, sum idem ipse; fuitque Deus ita mihi propitius, ut pœnitentiâ ritè factâ, mihi etiam omnis culpæ veniam largiretur, modò ille mansissem, qui fuit te præfente; at te domum regressò, dæmonis ex instinctu procax femina iterum in ædes irrepit; quam cum oculis meis identidem diabolus objecisset, subit animum cypria cogitatio*

de præteritis lapsibus, ex cogitatione iterata de antiqua venere nata est delectatio, quam fovî, quam in tumultum retinui; sic bonè præfens animo, amariæ tamen illecebris de novo re-affixus, repentè animam egi & mortem obii cypria cogitatione & morosa delectatione contaminatam. Hinc iustâ sententiâ à Deo fulminatus rectâ in avernum defluxi. His dictis relicto ad Aras Sacerdote, umbra vanuit, eò abitura, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Quibus ergò Scripturæ exempla Patrumque oracula nimis esse antiqua creduntur, hic recens capiant & probè meditentur. Civis iste actu scelerum suorum plenariam veniam Virtute Confessionis exactè obtinè à Deo obtinuit; restâ ergò è terris in cœlos avolare poterat. Una carnalis cogitatio ex aspectu lupæ suscitata, cui mixta fuit delectatio, sacrum iter turbavit & evertit, imò ex amico Dei hostem fecit acerrimum Dei, quem Deus æternis orci tenebris multaret. Ah nemo pravas cogitationes dicat privilegiò gaudere, & culpâ coram Deo vacare. De cogitatibus quidem non curat præter aut iudex terreus, nisi opus ipsùm in iudicio probetur; sed alia hominum, alia Dei sunt iudicia. Deus cor nostrum intuetur, & æquè in numero habet pravos cogitatus opera nefasta. Scirent hos cogitatus homines in terris, eos pariter pœnis subicerent; at cum nostra præcordia soli Deo patefiant, soli Deo jus competit in cogitatus, non item homini. Accidat, ut DEUS etiam homini hominis alterius pravos referet cogitatus, hos etiam homo corripit; sic legitur eos palàm in altero castigasse S. Cath. Senensis. S. Philippus Nereus. S. Franciscus Seraphicus. S. Xaverius & alii passim, divinitus edocti. Equitabat fortè Seraphicus Franciscus asinò sublimis, socio pedibus subsequente, qui olim in seculo nobilis erat. Medio in itinere hos secum cogitatus volvit frater: quàm paradoxa est hæc itineratio! ego tot ceris conspicuus vernæ instar pedi sequi pedibus binis viam emetior; nunquid plùs mihi equitatio competeret? quid respectu mei Franciscus vidit S. P. Deo animum referante, quid mente coqueret frater, mox itaq; asinò delapsus & ad fratrem conversus inquit, en frater tu jumentum conscende; tu enim antiquus Nobilis es, ergò me multò melior es. Tibi

proin

F.
Sancti pravo-
vos alio-
rum cogi-
tatur casti-
gavit,
ipsis à Deo
detectos.

proin equitatio competit, quia equestri ordine prognatus es, meum est post asinum currere vernam. Sic superbas cogitationes vir Sanctus vix in pectore vidit, mox eas contrivit. At dicet nonnemo, cur pravas cogitationes Deus punit avertens? an hoc Bonitati congruum sit Divinae? Ohe! AA. nemo tam periculosè de Deo loquatur; si etiam unum simplicem sed inipium cogitatum Deus foci exurat sempiternis, locum semper habeat omnem gratiam largitur, peccatis & peccatorum poenis omnibus remissis, cur non & omnibus poenis iisq; sempiternis pravum excipiat cogitatum? Hoc vel maximè Justitiæ Dei competit, bonam cogitationem vitâ æternâ præmiari, pravam cogitationem foci multare nullo ævô sopiendis. Deus si unquam iustus prædicatur, hic sanè illius Justitiæ maximis laudibus extollatur, cuius timore tamen & tremore, ut nempe nostra præcordia ritè temper obfirmemus, ut ne ultima nostra cogitatio ita enormiter a Deo deficiat, sicut scimus huic Comensi civi defecisse, ut a facie Dei æternum proscripti, in ardentis orci faces decem cum omnibus diabolis nostras iracundiæ aut rancoris plenas nostras livore ac invidiâ hirsutas, nostras lasciviâ puridas cogitationes luere cogamur æternum, quòd à nobis clemens Numen averruncet!

Amen.



CON-

(19) Psal.
118.